RECTOR
VNIVERSITATIS LITTERARVM TVRICENSIS

COMMILITONIBVS

CERTAMINA ERVDITIONIS PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNOS MDCCCLXXIX—LXXX

INDICIT

PRAEMISSA SVNT

ARNOLDI HVG

MISCELLANEA PHILOLOGA

TVRICI

TYPIS ZVRCHERI ET FVRRERI

1879

RECTOR
VNIVERSITATIS LITTERARVM TVRICENSIS

COMMILITONIBVS

CERTAMINA ERVDITIONIS PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNOS MDCCCLXXIX—LXXX

INDICIT

PRAEMISSA SVNT

ARNOLDI HVG

MISCELLANEA PHILOLOGA

TVRICI

TYPIS ZVRCHERI ET FVRRERI

1879

Miscellanea philologa.

I

In oratione Libanii quam pro saltatoribus h. e. pantomimis conscripsit etiam in novissima editione Richardi Foerster[1]) leguntur ex codicibus haec[2]) cap. 20, p. 28, v. 12 seqq.: *μνησθεὶς γὰρ τῶν ἀπὸ τοῦ Διὸς συντελούντων τοῖς δρωμένοις τούτοις, φησίν, ὅσον τῆς βλαύτης περίεστι, τοσοῦτον ἐχρῆν ἀφαιρεῖν τῶν ποδῶν.* Subiectum huius enuntiati est Aristides rhetor celeberrimus, qui oratione quadam pantomimos acerbissime impugnaverat: contra quem hoc de quo agimus libello eorum patrocinium Libanius suscepit. Nec satis habuerat Aristides invehi in pantomimos ipsos, castigaverat etiam choreutas eorumque carmina (vide Liban. c. 19) et eo usque processerat, ut etiam alios quosdam ministros pantomimorum ludi (*συντελοῦντας τοῖς δρωμένοις*) vehementer reprehenderet. Qui cuius generis sint, adparet ex eis quae sequuntur: sunt illi qui legem temporum servant sonitumque vocum et saltationem modulantur pedum pulsu instrumento illo munitorum, quod Graeci *κρουπέζιον* adpellant, Latini scabillum. Quorum strepitum moleste fert Aristides, indignatur quod scaenam pede non pulsant solum sed frangunt v. 17. *τῷ ποδί, φησί, τὴν σκηνὴν καταρρηγνύντες*, crudeli supplicio eos dignos esse conclamans. Adversus quae Libanius copiose demonstrat, qui de strepitu queratur, eundem etiam invehi debere in alios, in pyrrichistas, in eos qui tympanis cymbalisque utantur; saltationi deinde opus esse maiore strepitu, quam quem pedes soli instrumento non muniti efficiant.

Quae cum omnia perspicua sint, restant tamen verba *ἀπὸ τοῦ Διὸς* quae nemodum explicavit. Miror Foersterum qui de multis huius orationis locis vel emendandis vel illustrandis optime meruit haec verba silentio praeteriisse; apud Reiskium invenitur haec adnotatio: «locus hic de ingentibus blautis seu crepidis Iovialium et opera a Iovialibus in salta-

---

[1]) In programmate Rostochiensi quod in honorem F. V. Fritzschii prodiit anno MDCCCLXXVIII.
[2]) Liban. ed. Reiske III, p. 384.

tione scaenica praestita mihi est obscurus». Mitto Reiskii instrumenti illius [1]) ignorationem, quae aetati eius facile condonanda est; inepta vero et per se nec cum grammatica ratione congruens illa de «Iovialibus (Iovis sacerdotibus?)» interpretatio. «Ioviales» enim essent: οἱ ἀπὸ τοῦ Διός; «Ioviales qui adiuvant ludum»: οἱ ἀπὸ τοῦ Διὸς οἱ συντελοῦντες τοῖς δρωμένοις, ut adpareat, quod Reiskius inesse his verbis putavit, Libanium pronuntiaturum fuisse μνησθεὶς τῶν ἀπὸ τοῦ Διὸς τῶν σ. τ. δρ. Iam cum quaestio eo redeat, quid sit ἀπὸ τοῦ Διὸς adiuvare munus saltatorum, quo absurdius hoc est, eo certius emendatione eget. Quae in promptu est; lenissima enim mutatione efficietur, quod sensus flagitat τῶν ἀπὸ τοῦ ποδὸς συντ. τ. δρ. cf. v. 17 τῷ ποδί, φησί, τὴν σκ. καταρρηγνύντες et v. 24 οὗτος (sc. ὁ κτύπος) ἀπὸ ψιλοῦ τοῦ ποδὸς οὐκ ἂν ἀποχρῶν εἴη.

In verbis quae proxime antecedunt «temerarium» illud et quasi «tyrannicum» dictum Aristidis de his ludi ministris, qui pedum ictu intervalla signant, his verbis introducit Libanius v. 9 ᾧ τοίνυν τοὺς πολλοὺς ἀνήρτηται καὶ οἱ πλεῖστοι περιφέρουσιν ἐν στόμασιν, οἱ θαυμάζειν δὲ εἰδότες ἀγνοοῦσι διότι θαυμάζουσι, τοῦτο τυράννου ῥήματι προσέοικε μᾶλλον ἢ λόγῳ πίστιν ἔχοντι. Quod Foersterus in contextu posuerat θαυμάζωσι, eius rei eum iure poenituit in corrigendis p. 33 nec profecto causa mutandi indicativi est. At mendum latere mihi videtur in praecedentibus οἱ θαυμάζειν δὲ εἰδότες, pro quo vereor ne sit scribendum οἱ θ. δὲ εἰωθότες; quamquam enim concedo si argutiorem quam veriorem oppositionem quandam statuas intercedere inter εἰδέναι et ἀγνοεῖν notiones, εἰδότες defendi quodammodo posse, tamen eiusmodi argutiae abhorrere mihi videntur a tota orationis simplicitate.

Cap. 22 eiusdem orationis (pag. 31, v. 8 ed. Foersteri) scriptum invenitur: ἐν ᾧ δὲ ἄνθρωπος πιέζεται μάλιστα, παίδων θανάτοις, τοῦτο πῶς οὐκ ἂν ἐνέγκοι πεντήκοντα παῖδας ὁρῶν ἐν ὀφθαλμοῖς πατέρων κειμένους καὶ θυγατέρα σφαττομένην ἀνθ' ἱερείου πρὸς τάφον, καὶ πάλιν ἑτέρους ὑπὸ τῶν χειρῶν τῆς μητρός, τῆς μὲν μανείσης, τῆς δ' ἐπισταμένης. In quibus πρὸς τάφον Foersterus tolerari non posse intellegens in adnotatione πατρὸς παρόντος legendum proposuit coll. Eur. Iph. Aul. 1472, 1547 seqq. Recte quidem ille vir doctus cogitasse videtur de πρὸς h. e. compendii πατρὸς et praepositionis ipsius similitudine. Sed dissentio de altera voce cum παρόντος quod coniecit nec τάφον litteris respondere videatur nec commendetur ex sententia; desidero enim in fabulae de Iphigeniae sacrificio commemoratione id quod τραγικώτατον eius est, inmolatam esse eam patris ipsius iussu. Quare scripserim πατρος προστάττοντος statuens πατρὸς et προς, cum eisdem litteris scripta essent, in unum olim coaluisse.

---

[1]) De quo conferas Grysar Mus. Rh. II 57, Friedländer, Sittengesch. Roms II p. 434[3].

II

Choricii rhetoris oratio, cui qui primus nuper in lucem protraxit ex codice Matritensi Carolus Graux[1]) inscripsit *ἀπολογία μίμων*, haec habet § III, 11[2]): *Οἴεσθ' οὖν, εἰ τὸ μίμων ἄδοξον ἦν ἐπιτήδευμα, ἢ Σώφρονα μίμους ἐπιγράφειν αὐτοῦ τὰ ποιήματα ἢ Πλάτωνα τούτων ἐπαινέτην γενέσθαι ἢ τὸν Διόνυσον ὥς φασι τὸ θέατρον ἀνακεῖσθαι τούτοις αὐτοῦ τὸ τέμενος ἐπιτρέπειν;* Quorum cum extrema sensu carerent, editor meritissimus *τὸ θέατρον* verba delens scripsit *ἢ τὸν Διόνυσον, ὥς φασιν, ἀνακεῖσθαι τούτοις αὐτοῦ τὸ τέμενος ἐπιτρέπειν*, quae ni multum fallor sic erunt explicanda: «an Dionysum, ut dicunt, permissurum fuisse ut eis (h. e. mimis) templum suum consecraretur?» In quibus et displicet mihi illud *ὥς φασιν* nec recte dici videtur templum mimis *ἀνακεῖσθαι*, cum potius deo sit consecratum. Quibus difficultatibus ita succurrerim ut *τὸ θέατρον* verbis conservatis unum *ὥς* in *ᾧ* mutem: *ἢ τὸν Διόνυσον, ᾧ φασι τὸ θέατρον ἀνακεῖσθαι, τούτοις αὐτοῦ τὸ τέμενος ἐπιτρέπειν.*

III

Aristophanis Ran. v. 320:

ᾄδουσι γοῦν τὸν Ἴακχον ὅνπερ Διαγόρας

ad Diagoram Melium *ἄθεον* spectare statuunt cum Aristarcho omnes recentioris aetatis interpretes. Ita etiam scholiastae ipsi codicum Rav. et Ven., qui Aristarchi explicationem adferunt, item Suidas s. v. *Ἴακχος*. Celeberrimus autem ille grammaticus contenderat in enuntiato relativo non *ᾄδει* verbum esse cogitatione addendum sed *χλευάζει* vel *ἐξορχεῖται* (h. e. imitando profanare et illudere) quod disertis verbis testatur scholiasta: *καὶ ὁ μὲν Ἀρίσταρχος Διαγόρου νῦν μνημονεύειν φησὶν οὐχ ὡς ᾄδοντος αὐτοῦ τοὺς θεούς, ἀλλ' ἐν εἰρωνείᾳ κειμένου τοῦ λόγου ἀντὶ τοῦ χλευάζοντος, ἐξορχουμένου.* Xanthias igitur ex Aristarchi sententia dicit: «canunt quidem Iacchum eundem quem ludibrio habet Diagoras». Additur denique a scholiasta comicum his verbis instigare voluisse Athenienses adversus Diagoram: *ἀνακινεῖ οὖν τοὺς Ἀθηναίους ὁ κωμικός.*

---

[1]) Revue de Philologie I p. 209—247; inscriptio codicis ipsius est *λόγος ὑπὲρ τῶν ἐν Διονύσου τὸν βίον εἰκονιζόντων.* In hac oratione componenda Choricium, quamvis sui ingenii homo esset, sat multa ex Libanii pro saltatoribus hausisse vel imitatum esse mihi persuasum est nec debuisse de hac re in editione Libanianae p. 3 Foersterum dubitare alio loco exponam.

[2]) ibid. p. 216.

ὅθεν καὶ οἱ Ἀθηναῖοι ὡς διαχλευάζοντος τοὺς θεοὺς καταψηφισάμενοι ἀνεκήρυξαν τῷ μὲν ἀναιρήσοντι ἀργυρίου τάλαντον τῷ δὲ ζῶντι κομίσαντι δύο. Quod cum per se credi non possit tam obscura et leni adlusione civium animos odio cuiusquam inflammare aut potuisse aut voluisse eundem Aristophanem, qui ut Cleonem in Equitibus, ita in aliis fabulis innumeros adversarios aperto semper Marte summaque vi adgressus erat, totam narrationem cum temporum ratione stare non posse dudum cognitum est, quod decretum illud de Diagora, quod ut facerent versu nostro Athenienses permoti esse a scholiasta dicuntur, iam in Av. Aristoph. v. 1072, h. e. novem annis ante Ranarum fabulam doctam commemoratur. Eo minus obsequendum Fritzschio qui cum copiosa adnotatione hunc errorem, quo dicitur Diagoras post Ol. 93, 3 h. e. post Ranas Athenis fugisse, castigavisset, nihilo minus non dubitavit Aristarcho ipsi tam foedum errorem tribuere: imo scholiastae haec debentur [1]). Vtcunque autem statuas de hac re, Aristarchi interpretatio ipsa qualis fuerit, dubitari non potest: comprobata ea etiam est a Fritzschio Meiero Kockio, quamvis reiciant narrationem illam de decreto, qua veram suam ut opinantur Aristarchus explicationem fulserit. «Nam hic Diagoras, inquit Fritzschius, fuit unus omnium famosissimus (Orphicorum, Samothraciorum, Eleusiniorum) mysteriorum contemtor», quod pluribus persequitur docta adnotatione. Qua quamvis perspicue demonstratum sit eo Diagorae libro, cui inscriptum erat *Φρύγιοι λόγοι*, mysteria esse profanata et irrisa, dici igitur Diagoram posse illusisse Iaccho vel alii deo mysteriorum, tamen hanc explicationem cum verbis poetae congruere confidenter negaverim. Primum enim consentaneum est ex praeceptis grammaticis non aliud verbum supplendo addi posse nisi *ᾄδει*, cum in enuntiato primario *ᾄδουσι* extet nec omnino in praecedentibus notionis *τοῦ χλευάζειν* vel similis ullum inveniatur vestigium: prorsus igitur temerarium ac reiectaneum illud Aristarchi supplementum. Accedit deinde, quod eiusmodi vel reprehensio vel irrisio Diagorae, quem Fritzschius ipse luculenter ostendit multis iam annis ante Ranas actas mortuum esse, hic locum habere vix potuit. Alia enim prorsus res in Avium loco quem supra commemoravimus, ubi ludibrii causa de mortuorum proscriptione agitur: *ἢν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Διαγόραν τὸν Μήλιον, λαμβάνειν τάλαντον ἤν τε τῶν τυράννων τίς τινα τῶν τεθνηκότων ἀποκτείνῃ*, quorum extrema non possunt non ad Pisistratidas spectare (vide Kockium ad illum locum). In quo etiam Weckleinium adsentientem habeo pag. 16 haec dicentem: «war aber Diagoras zur Zeit der Aufführung der Frösche wie der Vögel todt, so kann der Scherz oder Spott *ὅνπερ Διαγόρας* nicht auf Diagoras berechnet sein».

Nec melius res cessit Winckelmanno, qui quidem iure de verbo *ᾄδειν* cogitans, *ᾖσεν* mente addi voluit ita tamen ut sub nomine Diagorae lateret persona Euripidis, quippe qui proxime Bacchis suis Dionysum celebrasset, in permultis autem aliis fabulis verum Diagoram *ἄθεον* se praestitisset. Mirum hercle Aristophanem in eadem fabula Ranarum, in qua Euripidem sexcentis

---

[1]) Idem sentit etiam Wecklein comment. in Aristoph. Ran. pag. 16: „eine unmögliche Erklärung, welche nicht mehr dem Aristarch zu gehören scheint."

locis vero eius nomine usurpato tetigerit quaque neminem fere alium nisi ipsum illum impugnaverit, hoc solo loco eundem poetam tecte ac falso sub nomine castigasse. Nec merito provocavit Winckelmannus ad stabiliendam sententiam suam ad Arist. Nub. v. 830, ubi Socrates ipse *Μήλιος* nominatur (*Σωκράτης ὁ Μήλιος*), quo in versu cum ipsum Socratis nomen adhibitum sit, dubitationi locus non relinquitur. Apage igitur istum Euripidem ex nostro versu.

Iam res eo devenit, ut et verbum *ᾄδειν* ipsum cogitandum esse necessario cognoverimus nec potuisse Diagoram ipsum irrideri, quippe qui iamdudum inter mortuos esset, nec alium quemquam ne Euripidem quidem sub eius nomine latere. Quibus dubitationibus etiam hoc addo, vix credendum esse Aristophanem Diagorae nomine, quod apud Graecos tam frequens erat, nude posito philosophum illum significaturum fuisse in versu, in quo si non totum illud *Διαγόρας ὁ Μήλιος*, quod in Avium loco invenitur, tamen licebat simpliciter *Μήλιος* dicere. Quid igitur superest nisi ut locum emendando sanare conemur? At extitit, qui quamvis recte censeret *ᾄδει* esse cogitatione addendum nec Diagorae ipsi illudi potuisse, tamen nova quadam explicandi ratione usus est: Weckleinium dico cuius verba haec sunt l. l.: «Zu *ὅνπερ Διαγόρας* ist natürlich *ᾄδει* zu ergänzen: den Sinn der Worte aber kann ich nur in einem Scherz auf die eigene Nachbildung der Mysterien erkennen. Wir wissen wie empfindlich die Athener in diesem Punkte waren, und wissen aus Arist. Eth. Nicom. III 2, dass Aeschylus eine Anklage zu bestehen hatte, weil er aus den Mysterien manches auf die Bühne gebracht und dadurch entweiht zu haben schien. Aristophanes tröstet im Voraus sein Publicum damit, dass er nicht die eigentlichen heiligen Mysterien, sondern die profanen Mysterien eines Diagoras nachahme; d. h. dass er nur mit ganz äusserlichen Dingen und unbedeutenden Gebräuchen, in denen das eigentliche Wesen der Mysterien nicht zu suchen sei, harmloses Spiel treibe». Qua explicatione nil me vidisse confiteor obscurius [1]), ut desperatione quasi quadam extortam dixerim. Quae enim, quaeso, sunt profana ista mysteria Diagorae quae imitatum se esse dicere putandus sit Aristophanes? utrum mysteria quae profanaverat ille *Φρυγίοις λόγοις?* at profanata mysteria non sunt profana; an Diagoras alia eaque «profana» mysteria in locum eorum substituit quae irrisione sua erat persecutus? Cuius rei nullum vestigium video nec in scholiastae verbis *τὰ μυστήρια ηὐτέλιζεν ὡς πολλοὺς ἐκτρέπειν τῆς τελετῆς* cum qui multos homines mysteriis deterret, non in alia eos introducat, nec in Tatiani or. ad Gr. c. 44. p. 96 ed. Worth *ἐξορχησάμενον τὰ παρ' Ἀθηναίοις μυστήρια.* Quare quoniam ignoramus quae imitatum se esse dixerit Aristophanes, hanc explicationem nullam esse necessario consequetur nec sane si Aristophanes id quod Weckleinius in verbis Xanthiae inesse censet significare voluisset sese

---

[1]) Quod Weckleinius subsensisse ipse videtur qui pag. 15 modeste dixerit: „dass aber A. die Sache nicht so ernsthaft gemeint habe, deutet er uns selbst an, wenn anders der v. 320 den Sinn hat, welchen ich ihm beilegen zu müssen glaube“. Quamquam gratia viro doctissimo habenda est quod vulgatam interpretationem Aristarcho nisam repudians rectam viam monstravit: ut sperandum sit fore ut concedat nobis Diagoram Melium omnino ex hoc loco esse expellendum.

externas tantum levesque mysteriorum res acturum esse, exemplo Diagorae Melii usurus erat quem constabat non solum externos levioresque ritus mysteriorum irrisione lacessivisse sed ipsa penetralia religionum esse adgressum. Haud igitur perspicitur quomodo Aristophanes se cum Diagora Melio ἀθέῳ comparans anxios spectatorum animos «consolari» potuerit h. e. metu liberare ne mysteria in hoc poemate profanarentur; quod tantum abest ut fieri potuerit ut contra eiusmodi excusatione se ipse accusaturus fuerit quam gravissime poeta.

A recentioribus interpretibus qui omnes cum Aristarcho de Diagora Melio sermonem esse censent redeundum est ad veteres. Ex scholiis Venet. et ex Suida s. v. Ἴακχος discimus fuisse inter grammaticos, qui non ad Melium sed ad Atheniensem quendam hunc spectare putarent, quem ob corporis proceritatem in Hermippi fragmento Mein. II 1 p. 401 irrideri videmus. Quam explicationem ineptam esse nemo non perspicit, nec enim ex eo quod Τερθρεύς nominatur, quo Meinekius significari censet hominem praestigiis deditum, sequitur eum hominem hymnum in Iacchum vel composuisse vel cecinisse. At superest Apollodori Tarsensis explicatio quae a scholiasta commemoratur his verbis: οἱ δὲ τὸ ΔΙΑΓΟΡΑΣ περισπῶσιν, ὡς Ἀπολλόδωρος ὁ Ταρσεὺς καί φασιν Ἴακχον λέγειν, ὃν ᾄδουσι διὰ τῆς ἀγορᾶς, ἐξ ἄστεως ἐξιόντες εἰς Ἐλευσῖνα, consentit Hesychius s. v. Διαγόρας nisi quod errore Διόδωρος pro Ἀπολλόδωρος ibi scriptum extat: Διόδωρος ὁ Ταρσεὺς ἀναγινώσκει περισπῶν δι' ἀγορᾶς διὰ τὸ τοὺς μύστας ἰακχάζειν τουτέστιν ᾄδειν τὸν Ἴακχον, δι' ἀγορῶν βαδίζοντας. Quam lectionem δὶ ἀγορᾶς re vera exhibent cod. Venet. et marg. Canin.: simpliciter absurda ea adpellatur a Fritzschio, respuitur ab omnibus ceteris, contemnitur etiam a Weckleinio brevibus his verbis uso p. 15: «andere wollten gar δι' ἀγορᾶς lesen.» Quod iudicium omnium quibus nitatur argumentis prorsus incertum est: quae antequam proferantur contendere mihi licebit, huic simplicissimae rerumque contextui accommodatissimae lectioni nil obstare nisi Aristarchi adoratam auctoritatem, quam, licet magna sit, tamen omnes ceteroquin concedunt non omni errore esse liberam. Iam si mecum rerum seriem examinaveris, invenies Herculem v. 154 seqq. Baccho praedixisse obviam ei venturum in Orco mystarum chorum talem, qualis in terra conspiceretur (cf. v. 155 ὥσπερ ἐνθάδε). Inde a v. 312 audiunt nunc Bacchus et Xanthias tibiarum cantum, subolet facum odor, audiunt chorum Iacchum deum advocantem. Inde igitur Xanthias concludit, vera sibi praedixisse Herculem, mystas esse Eleusinios: ᾄδουσι γοῦν τὸν Ἴακχον, ὅνπερ δι' ἀγορᾶς h. e. Athenis canunt mystae, quotiens pompa Eleusinia vicesimo die Boedromionis mensis urbem relinquens Eleusinem se confert. Vt mysticus chorus quem in inferis deprehendunt instar eius est qui Athenis in foro conspici solet, ita etiam ranarum chorus v. 213 seqq. meminerat se olim Athenis Λίμναισιν eadem cantasse quae nunc in Orco. Iacchi simulacrum Athenienses per forum et Ceramicum duxisse antequam per Dipylon viam sacram Eleusiniam intrarent Prellerus ostendit de via sacra Eleus. I p. 5 [1]); ex Eleusinio enim urbis, quod prope arcem fuisse Xenophon hipparch. III 2

[1]) Cf. Preller ausgew. Aufsätze herausgegeben von Köhler p. 119.

docet, exiisse pompam consentaneum est, de foro autem testantur loci nobis iam noti, scholiasta ad hunc locum et Hesych. s. v. *Διαγόρας*. Quibus si propterea auctoritatem tribuere nolis, quod Apollodori Tarsensis ipsius verba esse videantur, qua lectionem suam *δι' ἀγορᾶς* fulcire studuerit, habes praeterea certum de Ceramico testimonium in scholio ad v. 399: *τοῦτο ἐπεὶ ὁδεύουσιν ἀπὸ τοῦ Κεραμεικοῦ εἰς Ἐλευσῖνα προπέμποντες τὸν Διόνυσον* h. e. simulacrum Iacchi quod ex Iacchi templo in via deprompserant; ex Eleusinio autem h. e. ex regione arcis per forum in Ceramicum eos transiisse per se intellegitur. Item de Panathenaeorum pompa Menander apud Mein. fr. Com. IV pag. 211

μικρὰ Παναθήναι' ἐπειδὴ δι' ἀγορᾶς πέμποντά σε,
Μοσχίων, μήτηρ ἑώρα τῆς κόρης ἐφ' ἅρματος.

IV

Diximus supra Aristarchi auctoritatem Apollodoro Tarsensi ita obfuisse, ut praeoccupata opinione quae recte de Aristophanis quem tractavimus loco senserat ut inepta repudiarentur. Verum enimvero ideo visa est Fritzschio hoc loco Apollodori sententia eo magis aspernanda, quod etiam alibi «non minus inepte iudicaverit»: Quod quamquam iudicandi genus in tanta testimoniorum de hoc grammatico paucitate maxime lubricum et ambiguum mihi videtur, cum qui altero loco erraverit, idem altero facile acu rem tangere potuerit, tamen ut Apollodoro tribuatur quod par est rem examinemus. Provocat enim Fritzschius ad schol. Euripid. Med., v. 148 et inprimis v. 171. Agitur utroque loco de verbis nutricis 168

κλύεθ' οἷα λέγει (h. e. *Μήδεια*) *κἀπιβοᾶται*
Θέμιν εὐκταίαν Ζῆνά θ' ὃς ὅρκων
θνητοῖς ταμίας νενόμισται.

Quae cum ad versum 160 pertinere viderentur, ubi Medea dicit: *ὦ μεγάλα Θέμι καὶ πότνι' Ἄρτεμι*, quibus praeter Themin non Iovem sed Dianam invocat, haec quomodo inter se conciliari possint, quaestio exorta est a multis grammaticis tractata. Tres igitur a scholiasta narrantur explicationes: prima Apollodori Tarsensis qui ad versum 148 *ἄιες ὦ Ζεῦ καὶ γᾶ καὶ φῶς* confugiens conqueritur de histrionibus qui falso verba inter personas distribuerint; esse enim haec verba non choro, ut fieret in libris, sed Medeae danda et arcte coniungenda cum antecedenti Medeae oratione; qua distributione accepta non solum hanc sublatum iri difficultatem sed aliam etiam eamque in eo positam, quod *τῆς Μηδείας καταρασαμένης ἑαυτῇ* (vide v. 144 bis 147) ridicule chorus diceret *ἄιες ὦ Ζεῦ καὶ γᾶ καὶ φῶς*; haec autem verba si Medeae sint, *λελύσθαι* dicit Apollodorus *τὴν ἀπορίαν εἰκότως, τὴν πρεσβῦτιν ἔνδοθεν κατηκοῦσθαι τῆς Μηδείας*

καὶ λέγειν κλύεθ' οἷα λέγει et q. seqq. Quae λύσις ἀπορίας etiam si nimis anxie verba poetae Apollodorus premere videatur hominis minime inepti est, sed acuti vel arguti saltem; dignaque ea visa cui respondeatur Didymo ipsi, cuius interpretationem secundo loco profert scholiasta: Medeam enim dicit exclamantem διά μου κεφαλῆς φλὸξ οὐρανία βαίη Iovem ipsum fulminatorem invocare, quibus argutiis addit quod multo magis probandum: εἰ καὶ ἡ πρεσβῦτις μὴ πάντων ὧν ἡ Μήδεια ἐπεκαλέσατο ἐμνήσθη, οὐ παράδοξον· ἠρκέσθη γὰρ τοῖς σεμνοτάτοις. Haec Didymus. Tertiam ab alio grammatico propositam fuisse sententiam a scholiasta deinde edocemur: verba enim ait ille quaedam excidisse: ὄμνυμι Ζῆνα καὶ Θέμιν. Quodsi de hoc loco Didymo adsentimur qui ut faciunt etiam recentiores vulgatam verborum distributionem defendit, adsentimur ita ut dicamus acute eum confutasse Apollodorum hominem nec ipsum acumine destitutum cuius non plura in scholiis nobis superesse dolendum est. Qui grammaticus utrum ab Apollodoro Tarsensi tragico[1]) cuius memoriam Suidas nobis servavit, sit discernundus necne, pro certo dici nequit; Fritzschio qui quod dicit Heynium ad Apollodor. bibl. I. p. 459 audere eos discernere, videtur illum ob id reprehendere, in eo quidem adsentior quod causam cur discernantur nullam video, praesertim cum illa aetate constet haud raro eosdem et poeticae et grammaticae operam navasse. Cui accedit quod Apollodorus grammaticus studium suum conlocavit in dramaticis poetis, Aristophane et Euripide, quod decet eum qui ipse tragicus poeta fuerit. Item eundem experientia edoctum haud absonum est de licentia histrionum in verbis distribuendis conqueri, quod fecit grammaticus dicens schol. ad Med. 169 τῆς ἀμφιβολίας αἰτίους εἶναι τοὺς ὑποκριτὰς συγχέοντας τὰ χορικὰ τοῖς ὑπὸ Μηδείας λεγομένοις. Eo ergo inclino ut grammaticum et poetam tragicum pro uno eodemque habeam.

V

Cum proximo anno in commentatione de Xenophontis Anabaseos codice Parisino 1640 C[2]) poemation quoddam quod codici praemissum est triginta senariis conscriptum primus publici iuris fecissem idque Byzantinorum aetati esse tribuendum significassem cum ob Leonis VI (philososophi) mentionem, quo regnante h. e. inter annos 870 et 911 p. Chr. confectum esse necesse esset, tum ob inscitiam et stuporem versificatoris, epistolio ad me dato Carolus Dziatzko amicus Vratislaviensis, vir gratae apud nos Helvetios inprimisque apud societatem philologam Turicensem memoriae, hanc inscitiam non tantam sibi videri quanta mihi esset visa, respondit; versus

---

[1]) De eo vide Welcker gr. Trag. p. 1045 seqq.

[2]) Prostat apud Teubnerum Lipsiae 1878. Eius quodommodo corollarium dedi in Fleckeiseni annalibus huius anni mensis Februarii p. 97 seqq.

etiam ipsos rei metricae haud imperitum hominem prodere; quare qui error ridiculus in versu 19 adpareret, quo Cyrus minor primo h. e. maiori Cyro bellum intulisse dicitur, idemque metricum peccatum se non putare poetae ipsius esse sed librario alicui tribuendum. Cui observationi mihi statim aliquid veri inesse visum est, ac fatendum praeter illud et metricum et historicum monstrum horrendum:

καὶ χεῖρας ὁπλίσαντα πρὸς πρῶτον Κῦρον

nihil consimile in toto carmine inveniri. Metricum enim vitium quod in versu 11 deprehenditur

λέγε Ξενοφῶν, τῷ λόγῳ συνηγόρει

qui una syllaba brevior est, facili medela removetur si *καὶ* inseras

λέγε Ξενοφῶν καὶ τῷ λόγῳ συνηγόρει

quo recepto non elegans quidem versus, sed metricis praeceptis sufficiens existit, in quo anapaestus alterius pedis adhibitus in nomine proprio ne a tragicorum quidem usu abhorret.

Versus autem 19 haud ita facili negotio sanabitur. Quod antequam conemur, accuratius aliquanto inquiramus quid carmen contineat: quod si fecerimus, fieri fortasse poterit ut etiam unde sumpta sint quaedam coniectura assequamur. Postquam primis decem versibus poeta exposuit nihil esse nec iucundius nec utilius antiquis inprimis Atticis scriptis, quae vere gestas res continerent, quibus quid agendum esset edoceremur, versu undecimo, quem modo tractavimus, Xenophon huius rei testis citatur. Sequitur deinde v. 12—16 laus Leonis imperatoris qui sapientiam suam experientiamque toto orbe terrarum celebratissimam ex antiquissimis potissimum libris hauserit; ad eundem imperatorem quattuor extremis versibus 27—30 redit oratio, precaturque poeta, ut diuturnum sit felicissimum Leonis imperium. Iam versibus 17—26 qui interpositi sunt inter laudem imperatoris et vota pro eius salute regnoque suscepta singulariter quid ex Anabasi Xenophontis disci possit exponitur his verbis, in quae maxime nobis inquirendum est:

τίς γὰρ θεωρῶν ἔνθα Κῦρον τὸν νέον
τὸν μυρίαν τάξαντα κείνην ἀσπίδα
καὶ χεῖρας ὁπλίσαντα πρὸς πρῶτον Κῦρον
οὐκ εὐθὺς ἔγνω πῆμα τὴν φιλαρχίαν;
θυμὸν γὰρ αὐτὸς ἐμπνέων καὶ πικρίαν
σφύζων τε πολλὰ καὶ διᾴττων ἀσκόπως
ὁρμαῖς ἀτάκτοις συμπλακεὶς ἀνῃρέθη.
δοκεῖ δέ μοι Κλέαρχος ὁ κλεινὸς Λάκων
σφῆλαι τὰ πάντα συσχεθεὶς ἀτολμίᾳ
Κύρου σοφὸν βούλευμα φαυλίσας τότε.

Quodsi haec duo sola Xenophontis libro edocemur, cavendam esse vehementiam et ambitionem caecam qua Cyrus imbutus perierit et anxium timorem Clearchi Lacedaemonii quae causa

fuerit calamitatis exercitus, concedendum est haud ita multum hunc poetam ex Anabasi lucratum esse, cum in libro primo substiterit ac neglexerit ceterorum librorum et amoenissimam et utilissimam reditus Graecorum enarrationem, in qua constat totius libri cardinem versari. Haec iudicii levitas mihi et ipsa olim videbatur Byzantini hominis esse. A qua sententia ne nunc quidem descivi, postquam invenisse mihi videor quo ex fonte ille sapientiam suam hauserit. In Plutarchi enim vita Artaxerxis cum simillima deprehendissem, inde fluxisse haec praecepta carminis nostri mihi persuasi. Cyro ibi cap. 2 tribuitur *τὸ ἔντονον καὶ σφοδρόν*, cap. 3 extr. dicitur *δι' ὀργὴν σπαργῶν* — in carm. v. 21 *θυμὸν ἐμπνέων καὶ πικρίαν*; Plut. cap. 8 haec habet: *ἁμαρτόντος δὲ Κύρου μέγα τῷ δῦναι προπετῶς εἰς μέσα τὰ δεινὰ καὶ μὴ φυλάξασθαι τὸν κίνδυνον*, ibidem *θράσος* ei vitio vertitur — carm. v. 22 *σφύζων τε πολλὰ καὶ διᾴττων ἀσκόπως ὁρμαῖς ἀτάκτοις συμπλακεὶς ἀνῃρέθη*; Plut. cap. 6 *φρόνημα καὶ φιλοτιμία* Cyri est — in carm. v. 20 *φιλαρχία*. Quod etiam maius est, in Plutarchi cap. 8 in eandem Clearchi Lacedaemonii reprehensionem incidimus, quae hic deprehenditur: *οὐχ ἧττον ἥμαρτεν* (sc. quam Cyrus) *εἰ μὴ καὶ μᾶλλον, Κλέαρχος ἀντιτάξαι κατὰ τὸν βασιλέα μὴ θελήσας τοὺς Ἕλληνας, ἀλλὰ προσμίξας τῷ ποταμῷ τὸ δεξιόν, ὡς μὴ κυκλωθείη*, longiore deinde oratione Plutarchus demonstrat Clearchum iusto studiosius *ἀσφάλειαν τὴν ἑαυτοῦ* appetivisse cf. ibidem *ὑπὸ δέους*, et in eodem capite *διὸ τὴν Κλεάρχου μᾶλλον εὐλάβειαν ἢ τὸ τοῦ Κύρου θράσος αἰτιατέον ὡς τὰ πράγματα καὶ Κῦρον ἀπολέσασαν* — cf. carm. v. 25 *σφῆλαι τὰ πάντα συσχεθεὶς ἀτολμίᾳ Κύρου σοφὸν βούλευμα φαυλίσας τότε*. Liquet igitur hanc Plutarchi quaestionem, utrum Clearchi timiditas an temeritas ambitioque caeca Cyri plus valuerit ad cladem efficiendam, cui sic respondet ipse, ut Clearchi culpam maiorem esse dicat, ita hunc Byzantinum versificatorem adhibuisse, ut eisdem reprehensionibus usus quibus Plutarchus pariter in utrumque inveheretur. Iam cum Cyro minori *φιλαρχίαν*, quam *πῆμα* eius fuisse significat, vitio vertat, expectaveris etiam eum hanc regni ambitionem indicare haud legitimam sed illicitam et scelestam fuisse. Cuius rei in v. 19 *καὶ χεῖρας ὁπλίσαντα πρὸς πρῶτον Κῦρον* nec vola nec vestigium: accedit igitur haec difficultas tertia duabus illis, metricae et historicae, de quibus iam diximus. Cur autem *φιλαρχία* illa Cyri nefaria dicenda? Quia imperio pellere legitimum dominum eumque ipsius fratrem conatus est: hoc item ex Plutarcho suo haurire poterat poeta, ex Artagersis Cadusiorum principis verbis quibus ille cap. 9 Cyrum obiurgasse dicitur: *ὦ τὸ κάλλιστον ἐν Πέρσαις ὄνομα Κύρου καταισχύνων, ἀδικώτατε ἀνδρῶν καὶ ἀφρονέστατε, κακοὺς μὲν Ἕλληνας ἔρχῃ κακὴν ὁδὸν ἄγων ἐπὶ τὰ Περσῶν ἀγαθά, δεσπότην δὲ σεαυτοῦ καὶ ἀδελφὸν ἐλπίζων ἀναιρήσειν.* Hinc autem haec verba versificatorem nostrum haud indoctum scripsisse conicio:

καὶ χεῖρας ὁπλίσαντα πρὸς τὸν κύριον

natum autem est quod nunc legitur ex dittographia *πρὸς* praepositionis: *προς προς τὸν κύριον*. Ac spero fore ut etiam Dtziatzko amicus mihi accedat, quippe cuius suspicio («vielleicht ist statt *πρῶτον Κῦρον* irgend eine Zusammensetzung von *—κύριον* zu conjicieren») proxime abfuerit a mea.

Iam superest ut commemoremus quae de certaminibus eruditionis et obitis et obeundis die XXIX mensis Aprilis Ludimarus Hermann Vniversitatis Turicensis Rector Magnificus publice renuntiaverit.

ORDINIS PHILOSOPHORVM SECTIONI I, quae proposuerat hoc argumentum:

Entwicklung und Ziele der Politik Zürichs bei der durch Zwingli vermittelten Verbindung mit Landgraf Philipp von Hessen

tradita est una scriptio, de qua hanc tulit sententiam:

Die Facultät findet sich durch diese Bearbeitung des von ihr aufgestellten Thema sehr befriedigt und steht nicht an, dieselbe als eine vorzügliche Leistung zu bezeichnen.

Fleiss und Gründlichkeit der Forschung, klare Disposition und Darlegung des Stoffes und der Ergebnisse, ein vorsichtiges und ruhiges Urtheil sind ihr durchweg eigen; sie beleuchtet ihren Gegenstand in sehr vollständiger und ansprechender Weise.

Auch neben einer jüngst in Brieger's Zeitschrift für Kirchengeschichte veröffentlichten Abhandlung von Dr. Max Lenz: „Zwingli und Landgraph Philipp" bleibt der eingereichten Abhandlung ein eigenthümliches und wesentliches Verdienst. Denn während jene hauptsächlich das persönliche Verhältniss der beiden hervorragenden Männer und die Gedanken und Ziele des Landgrafen bei seiner Verbindung bei dem Reformator beleuchtet, zeigt die eingegangene Arbeit den Gegenstand, auf den sie tiefer eingeht, von manchen dort gar nicht berührten Seiten und setzt insbesondere die vielfachen Verflechtungen der schweizerischen und der deutschen Verhältnisse,- und ersterer unter sich selbst, sowie die dadurch bedingte, im Fortgange der Ereignisse nothwendigermaassen wechselnde Stellung Zwingli's und die Motive seiner Haltung sehr gut und lehrreich auseinander.

Diese innern Vorzüge der Arbeit werden durch einzelne Unebenheiten der hie und da allzu breiten, zuweilen allzu kurzen Ausdrucksweise des Verfassers nicht wesentlich beeinträchtigt. Dieselben, wie eine gewisse Ungleichheit in der Composition des letzten Abschnittes der Arbeit: „Rückblick", die neben einer Ueberschau der allgemeinen grossen Züge des Gegenstandes auch Wiederholung von einzelnen kleineren enthält und auf erstere hätte beschränkt werden können, werden vom Verfasser bei Durchsicht der Arbeit zum Drucke leicht zu beseitigen sein.

Die Facultät erkennt mit Vergnügen seine Arbeit als des statutarischen Hauptpreises würdig.

Schedula publice rescina auctor inventus est huius scriptionis:

HERMANNVS ESCHER, Turicensis, philosophiae studiosus.

ORDINIS PHILOSOPHORVM SECTIONI II,

quae iterum commendaverat hanc quaestionem:

„Die Section wünscht eine historische Bearbeitung des Pascal'schen Satzes mit besonderer Berücksichtigung aller Erweiterungen, welche derselbe in neuerer Zeit durch die Arbeiten von Steiner, Plückner, Cayley, Kiekmann, Hesse und zahlreichen andern Mathematikern erfahren hat.“

item una commentatio tradita est, de qua iudicium tulit tale:

Ueber eine eingegangene Bearbeitung dieses Themas mit dem Motto: Cuius gloriae neque profuit quisquam, nec vituperando quisquam nocuit, cum utrumque summis praediti fecerint ingeniis (Livius), lautet das Urtheil der math.-naturw. Fakultätssektion wie folgt:

„Es ist anzuerkennen, dass der Verfasser jede der verschiedenen Richtungen, in welchen der Pascal'sche Satz erweitert worden ist, berücksichtigt hat.

Dass ihm dabei die neuesten Arbeiten entgangen sind, kann ihm im Allgemeinen nicht zum Vorwurf gereichen, obwohl es den Werth seiner Schrift beeinträchtigt. Dagegen scheint sich der Verfasser mit seiner Arbeit zu sehr beeilt und die Literatur des Gegenstandes nicht mit derjenigen Gründlichkeit studirt zu haben, welche für historische Arbeiten unerlässlich ist und von einer Monographie über ein verhältnissmässig beschränktes Wissensgebiet mit Recht verlangt werden kann.

Die Section beantragt unter solchen Umständen, dass der eingereichten Arbeit ein Preis nicht zu ertheilen sei.“

In annos MDCCCLXXIX—MDCCCLXXX proponuntur hae quaestiones novae:

I. ab ORDINE THEOLOGORVM:

Kritische Untersuchungen über die Entstehung und das Wesen des Mönchthums im vierten Jahrhundert.

II. ab ORDINIS PHILOSOPHORVM SECTIONE I:

Vergleichung der griechischen Sophisten und französischen Encyclopädisten mit Bezug auf die sittlichen und politischen Verhältnisse ihrer Zeit.

III. ab ORDINIS PHILOSOPHORVM SECTIONE II:

Es ist eine Uebersicht der bis jetzt vorliegenden Untersuchungen über die Structurverhältnisse der Substitutionsderivate des Naphtalins zu liefern und sind vorhandene Lücken nach Möglichkeit durch eigene Versuche auszufüllen.

Quicunque Vestrum, carissimi commilitones, his argumentis tractandis operam navaverint eos monemus ut scriptiones suas addita obsignata schedula et nomen scriptoris continente et idem dictum, quo dissertationem ipsam insigniverint, ante Kalendas Ianuarias anni MDCCCLXXXI tradant Vniversitatis Turicensis Rectori Magnifico.